Q. D. B. V.

EXERCITATIO THEOLOGICA DE JEJUNIO CHRISTI QVADRAGESIMALI,

QVAM
PRÆSIDE
MAGNIFICO ACADEMIÆ JENENSIS RECTORE
DN.
SEBASTIANO NIEMANNO,
SS. THEOL. D. EJUSDEMQVE PROFESSORE PUBLICO, ECCLESIÆ OPPIDANÆ PASTORE AC VICINARUM SUPERINTENDENTE MERITISSIMO, VIGILANTISSIMO,

DN. PRÆCEPTORE, FAUTORE, STUDIORUMQVE SUORUM PROMOTORE, FILIALI PIETATE ET OBSERVANTIA DEVENERANDO,

PLACIDO θεολογούντων EXAMINI SUBJICIT

GEORGIUS WEIDEMANN,
RIGA-LIVONUS,
AUTOR & RESPONDENS

AD D. FEBRUARII, ANNO M.DC.LXX.

JENÆ
Typis JOHANNIS NISI.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

JEHOVA JUVA.

CAP. I.

De Jejunio in genere, & quibusdam ejus connexis.

§. I.

DE quadragesimali jejunio meritissimi omnium nostrum Salvatoris Christi acturis, ante omnia jejunii in genere consideratio admodum conducet, imò summa videtur à nobis exigere necessitas, ut, quoniam cum Pontificiis in capite 3. res nobis erit, ejus imprimis æquivocatio enodetur, quò eo melius Adversariis obviam ire, & eorum objectionibus satisfacere queamus.

§. II. Ut autem tractatio hæc plenior evadat, juvabit nominis rationem paulisper investigare. Quod igitur etymologiam concernit, vel nihil, vel parum hac de re notarunt Lexicographi. Non improbabilis quibusdam videtur sententia eorum, qui putant jejunio nomen esse inditum ex intestino, quod *jejunum* dicitur: quia teste *Cornelio Celso l. 4.* nunquam quod accipit, continet, sed protinus in inferiores partes ventris mittit. *Polyd. Vergil. de rerum Invent. l. 6. c. 3.*

§. III. Græcis dicitur *νηστεία* à privativa particula *νη* & *ἀπὸ τοῦ ἐσθίειν* vel *σιτίον*, sicut *Suidas* exponit, non comedere, vel cibum non sumere, quod latine, ex quorundam sententia, commode posset reddi per *inediam*; quin & *Varinus* *νῆστιν* interpretatur *ἄγευστον σίτου*, impastum, qui cibum nondum gustavit. Vocatur & *ἀσιτία*, itidem ex *ἀ στερητικῷ* & *σῖτος*, triticum, vid. Act. 27, 21. & 33. ubi tamen vox *ἀσιτία* & *ἄσιτος* non videntur omnimodam à cibo abstinentiam significare, ut ita *ἄσιτοι διατελεῖτε μηδὲν προσλαβόμενοι* *jejuni permanetis nihil accipientes*, idem sit

ac parum omnino accipientes sc. præ mœstitia & metu naufragii. Nam absque omni cibo per quatuordecim dies vita perdurare non potuisset, notante *B. Glass. Rhet. S. tract. 1. c. 14. Lucas* tamen *Osiander* ad h. l. existimat eos plane ab omni cibo abstinuisse, summa angustia omnem illis sensum famis excutiente. Affectus enim vehementior minus vehementem expellit.

§. IV. Hebræum est צוֹם quod ab emulgendo seu exugendo nomen habet. De exuctione hac legi potest *Vossius de orig. & progress. Idol. l. 3. c. 21.* ubi hæc pro more solidè tractat. Alio nomine in Scriptura V. T. dicitur תַּעֲנִית jejunium, à rad. עָנָה quæ in pihel significationem affligendi & comprimendi habet, & jungitur hoc verbum nonnunquam cum fame & inedia, ut Deut. 8, 3. וַיְעַנְּךָ וַיַּרְעִבֶךָ *& affixit te ac esurire te fecit.* Es. 58, 10. וְתָפֵק לָרָעֵב נַפְשֶׁךָ וְנֶפֶשׁ נַעֲנָה תַּשְׂבִּיעַ *& protuleris famelico animam tuam, & animam afflictam saturaveris.*

§. V. Rabbinis עִנּוּי afflictio est, sæpe jejunium, quod egregiè declarat *Aben Esra* Ps. 35, 12. כל ענוי דבק עם נפש לעולם הו צום. *Omnis afflictio* (hoc est verbum ענה) *quando conjungitur cum anima, semper significat jejuniũ, jejunare. Buxt. Lex. Talm. p. 1632.* Iisdem quoque in usu est צוֹמָא. Sic dies expiationum vocatur צוֹמָא רַבָּא Jejunium magnum, *Ber. rabba sect. I. Buxt. Lex. Talm. p. 1898.*

§. VI. Syris significat ܨܘܡܐ jejunium, Matth. 17, 21. Marc. 9, 29. Vid. *Lexicon Gutbiri* p. 97. Apud Arabes à R. جَفَرَ distentũ utrinque fuit latus corporis, est مُجْفِرٌ quod venerem impedit, & jejunium, quia hoc facere solet. A R. رَقَّ splenduit super terra & fluere visa fuit apparens eminus species aquæ, est رِيقٌ saliva, aqua oris. Vid. *Lexic. Golii p. 513. 514. 1069. 1392. 2324. 2614.* ubi plura.

§. VII. Variè autem à variis dividitur jejunium. Multi

ex

ex Doctoribus Scholasticis & Pontificiis triplex faciunt jejunium. Primò jejunium *naturæ*, quod dicit omnimodam abstinentiam ab injectione ciborum & potus in stomachum. Secundò jejunium *moris seu voluntatis*, abstinentiam sc. à nimio cibo nimioque potu. Tertio *Ecclesiasticum*, quod terminatur legibus positivis Ecclesiasticis, estq; ipsis nihil aliud, quam abstinentia à certis cibi & potus speciebus, illis nimirum, quæ insignem augendi seminis, indeque nascentis pruritus vim habent, quales sunt v. g. carnes, ova, lacticinia; & quidem ad prædefinitum atque statum tempus. Septuplex alii faciunt jejunium *1. naturale. 2. civile. 3. coactum. 4. morale. 5. merè spirituale. 6. extraordinarium. 7. religiosum.* vid. *Birckerodii Synopsin LL. Theolog. art. 34. p. m. 303.* Alii aliam distinguendi rationem ineunt.

§. VIII. Nobis non incommoda videtur divisio jejunii in jejunium *propriè sic dictum* & *metaphoricum*. *Metaphoricum* est spirituale, situm in sedula fuga vitiorum & cultura virtutum. Es. 58, 6. Zach. 7, 10. collato cum vers. 5. de quo modo observando in jejunio, præclare *Chrysost.* tum *Homil. 8. de pœnitent.* tum *Hom. 3. ad populum Antiochenum de detractione*, ubi ait: *non enim os tantùm jejunet, sed & oculus, & auditus, & pedes, & manus, & omnia corporis nostri membra, jejunent: jejunent manus à rapina & avaritia munda: jejunent pedes, ad illicita spectacula cursum reprimentes: jejunent oculi discentes nunquam formosis obtutibus insilire, nec alienas curiosè pulchritudines spectare: jejunet & auris, aurium autem jejunium detractiones & calumnias non suscipere: jejunet quoq; os à verbis turpibus & convitio.* *Propriè sic dictum* subdividi potest ratione tum *causæ*, tum *subjecti*, tum *adjuncti*.

§. IX. Ratione *causæ* dispescitur in *Physicum, Ethicum, Politicum & Religiosum*. *Physicum* seu naturale suscipitur ad conservandam aut recuperandam valetudinem, nonnunquam etiam ex ingenti proficiscitur mœrore: quomodo jejunabat Rex David, cum puer è Bathseba susceptus jamjam animam ageret 2. Sam. 12, 16. Qui hic de inedia mensium aliquot vel annorum etiam planè singulari & mirabili, exempla conjecturasq; physicas cupit, consulere poterit *Kornmannum de mirac. vivor.* nec non *Sennertum*

2) *tertium lib. 3 med. pract. p. 1. sect. 2. c. 2. Ethicum* coincidere videtur cum decantatissimis Moralistarum virtutibus, sobrietate & frugalitate, pro scopo habens honestatem in omnibus actibus refulsuram Luc. 21, 34. Rom. 13, 13. 1. Petr. 5, 8. Quo nomine etiam *veteres Germani* apud *Tacitum de moribus Germanorum c. 23.* bene audiunt, qui cibo simplici, pomis agrestibus, fera recente aut lacte concreto, sine apparatu, sine blandimentis famem expellebant. Cujus etiam exempla erant *prisci Romani*, teste *Valer. Max. l. 2. c. 11. Plinio l. 10. c. 8.* & *Alexand. ab Alexandro l. 3. c. 11.* nec non *Spartani*, ut videre est apud *Plutarchum in vita Lycurgi* &
3. *Aristot. in Politicis. Politicum* dici posset, quod suscipitur boni alicujus, quod Rempublicam concernit, adipiscendi causa, ut 1. Sam.
4. 14. v. 24. & 28. *Religiosum* instituitur partim ut petulantia & concupiscentia carnis dometur, partim ut dolor noster Deo indicetur, pœnitentiæ & precum studium accendatur, atque cor ad meditationem verbi divini, usum cœnæ Dominicæ, aliaque negotia Ecclesiastica obeunda aptius & ardentius reddatur; & per hanc animæ afflictionem, in vera fide susceptam, impendentia aut præsentia mala mitigentur & avertantur. Prolixam hac de re tractationem suppeditabit *Petrus Ravanellus Biblioth. sancta, in voce jejunium.*

§. X. Ratione *Subjecti* jejunium aliud est *publicum*, aliud *privatum. Publicum* est, quod pius Magistratus aut gubernatores Ecclesiæ indicunt, vel ut mala præsentia vera Dei invocatione & seria pœnitentia tollantur aut mitigentur, vel ut mala, quæ ob peccata imminere videntur, avertantur, ut Jud. 20, 26. 1. Sam. 7, 6. Joel. 2, 12. Jon. 3, 5. Act. 13, 3. & alibi. Et ejusmodi jejunium indictum celebrare tenentur omnes, qui eorum subsunt jurisdictioni, cujuscunqve sint conditionis, ætatis & sexus; quin & quandoqve animalia bruta Jon. 3, 8. (nam qui hic per jumenta intellexerunt efferos homines & à ratione alieniores, hanc vocem *monstrosè*, ut recte ait *Theophylactus*, interpretati sunt) ad jejunandum Ninivitas adegisse legimus (sicut, teste *Chrysost. Hom. 3. ad populum Antiochenum*, divite aliquo mortuo non servos solos & ancillas sed & equos necessarii sacco amicientes & agasonibus tradentes ad sepulchrum sequi jubent, calamitatis ma-

gni-

gnitudinem ostentantes,& omnes ad misericordiam allicientes.) *Theodoretus* ad illum locum Jonæ: *Animalia ratione carentia etiam à cibo abstinere jussit Rex, ut his fame pressis, & partim mugientibus, partim balantibus, & suam singulis vocem promentibus, ferventiores lacrymas homines funderent, divinaq; misericordiæ fontes reserarent.* Vide & *Basilium, Concione in fame & siccitate.* Ubi pulchrè describit, quomodo Ninivitæ excogitaverint, ut in eorum jejunio tum infantes, tum ipsa etiam bruta animantia, ex necessitate, clamarent: *Separatus enim est*, inquit, *vitulus à vacca; depulsus est à materno ubere agnus, puer lactens non erat in maternis ulnis, in propriis stabulis degebant matres, in propriis partus: voces prodibant ab omnibus miserabiles, mutuo reclamantes ac resonantes: partus famelici fontes lactis quærebant: matres naturali affectione perculsæ, condolentibus vocibus, partus revocabant: infantes eodem modo famelici, vehementissimo ejulatu dirumpebantur ac tremebant: matrum viscera naturalibus doloribus compungebantur.* *Privatum* est, quod privatim celebratur. Estq; iterum duplex, vel *miraculosum* & *extraordinarium*, quo prorsus jejunatur ab omni victu, ultra naturæ cursum & humanarum virium potentiam, quale fuit Mosis, Eliæ & Christi; Vel *ordinarium*, quod quisque sibi imponit sive sua sive alterius culpa, ut *Davidis* 2. Sam. 3, 36. c. 12, 16. Ps. 35, 13. Ps. 69, 11. *Achabi* 1. Reg. 21, 27. *Nehemiæ* 1, 4. *Discipulorum Johannis Baptistæ* Matth. 9, 14. *Hannæ Prophetissæ* Luc. 2, 37. *Pauli* Act. 14, 23. 2. Cor. 6, 5. Vide de his *Ravanel. Bibl. S.* l. c.

§. XI. Ex parte denique *adjuncti* datur jejunium aliud *necessarium*, quale erat Davidis, Danielis, Apostolorum. Aliud *liberum*, quale discipulorum adhuc familiari conversatione Christi lætorum erat, Matth. 9, 16.

§. XII. Præmissa hac divisione, jam melioris cognitionis gratia, quædam de *tempore, cibis in jejunio vitandis* & *ritibus jejunii* ex antiquitate, quam brevissime fieri poterit, subnectam.

§. XIII. *Tempus* igitur vel est *ordinarium*, vel *extraordinarium*. *Extraordinarium* in V. T. varium fuit, præsertim jejunii publici, quod propter necessitates & causas extraordinarias suscipiebatur, sic Israelitæ ob acceptum a Benjaminitis cladem jejuna-

junabant. Jud. 20,26. conf. 1. Sam. 7,6. c. 31, 13. & alibi. Qui mos adhuc etiam ex institutione Rabbinorum obtinet apud Judæos. vid. *Rabbi Moses ben Majmon* in tractatu de *jejuniis Hebræorum*, paucis ab hinc annis à D. Joh. Bened. Carpzovio, Profess. Lipsico latinitati donato, *Buxt. Synag. Jud. c. 25.* Pariter sub initium N.T. tempus jejunii certò non erat determinatum, ut colligere licet ex Matth. 9,15. Marc. 2, 19.20. Luc. 5, 34.35. Hinc & in primitiva Ecclesia jejunia stata non observabantur, ut passim ex historiis constat. Et hoc est, quod *Tertullianus* jam Montanizans Psychicis, sic Orthodoxos appellat, exprobrat, de jejunio agens.

§. XIV. *Ordinarium* vero tempus quod attinet, in V.T. præter jejunium illud, quod Deus decimo die mensis septimi observandum præceperat Levit. 16, 29. c. 23, 27. 29. 32. stato tempore quotannis observabantur quatuor illa jejunia, quæ Judæi tempore Babylonicæ captivitatis, mensibus decimo, quarto, quinto & septimo attendebant, Zach. 7,5. c. 8, 19. quem locum *Rabbi Mos. Majm.* ita explicat. *Per jejunium quarti indicatur dies 17. mensis Taumus* (Junii) *quippe sic in mensem quartum:* (ratione sc. anni Judæorum Ecclesiastici) *per jejunium quinti, dies IX. Abb* (Julii) *quippe sic in mensem quintum: per jejunium septimi, dies tertius Tisri* (Septembris) *quippe sic in mensem septimum: & deniq; per jejunium decimi, dies decimus Thebeth* (Decembris) *utpote quod sic in mensem decimum incidit*, vide *tract. supra citat. c. 5. §. 1. seqq.* Causa erat, quia circa hæc tempora Judæi in magnas inciderant calamitates: mense enim 10. Rex Babyloniæ cœperat oppugnare Jerusalé, & mense quarto ceperat civitatem, quam mense quinto desolarat, & mense septimo interfectus erat Gedolias, ut colligere licet ex Jer. 52, 4.6. 7.12. 2. Reg. 25, 25. Quæ tandem excepit Jejunium illud mensis duodecimi seu Adar (Februarii) die sc. 14. & 15. quod ex constitutione Mardochai, & ob recordationem calamitatis, quam tunc impendentem Deus averterat, susceperunt, Esther. 9, 20. seqq. Nec non jejunium in hebdomada feriæ secundæ & quintæ, hoc est diei lunæ & Jovis (de quo Luc. 18, 12.) Autores citatos vide apud D. *Geierum de luctu Hebræorum c. 20. §. 10.* De *Essæorum* statis jejuniis qui scire avet, adeat *B. Chemn. Exam. Concil. Trident. part. IV. de Jejunio*, ubi

pro-

prolixe hoc ex Josepho & Philone declarat; Hæc enim singula recensere, instituti ratio & pagellarum prohibet angustia.

§. XV. In primitiva autem Ecclesia, utut jejunia erant libera, & nullis temporum cancellis circumvallata, tamen cum publici & ordinarii Ecclesiæ conventus, ad auditum & meditationem verbi, ad usum cœnæ Dominicæ, & ad solennes supplicationes, præter Dominicam in septimana, feria quarta & sexta, plerisque in locis, fierent: servata illis diebus etiam fuerunt jejunia, ut ad auditum & meditationem verbi major intentio, & ad supplicationes publicas major esset devotio, vid. *Epiphan. in compend. doctr.* Quin & *Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromat.* contra Aerium, meminit jejunii die Mercurii & Veneris observati. Eadem de causa, quia ante festum Paschatos publicam agebant pœnitentiam vel baptizandi, vel lapsi, ut in festo absolverentur & baptizarentur: & quia tota Ecclesia ad seriam meditationem passionis & resurrectionis Christi, & ad communem ac solemnem communionem cum reconciliatis & baptizatis tunc se præparabat: observatum fuit jejunium, quod paschale tunc vocarunt, postea vero quadragesimale nominatum fuit. Quæ verba sunt sæpe laudati B. *Chemn. locis supra citatis*, ubi prolixè etiam legi potest, quomodo ab hac consuetudine sensim prolapsa sit Ecclesia ad superstitiosa Pontificiorum jejunia, quorum etiam hic paucis lineis mentionem faciemus.

§. XVI. Præter igitur jejunia extraordinaria, quæ quis quovis tempore liberè ex propria devotione suscipit, & quæ, secundum ipsos, pertinent ad opera supererogationis, indicta & instituta stato tempore jejunia hæc potissimum numerant (1.) quadragesimam totam exceptis Dominicis (2.) quatuor tempora (3.) jejunia quartæ & sextæ feriæ. vid. *Polydorus Vergil. lib. 5. c. 2. lib. 6. c. 3. & 4. de rerum Invent.* & alii passim, qui videri possunt apud *Dallæum de jejuniis lib. 3.* ubi de quadragesima agit, *& lib. 4.* ubi reliquas species recenset. Quæ de jejunio quadragesimali argutè satis, ut ipsis videtur, philosophantur, reservabimus in cap. 3. De jejunio autem quatuor temporum has afferunt rationes, quia sc. in Vet. T. dandæ erant primitiæ. E. in N. T. sub peccato mortali instituenda fuerunt quatuor temporum

jejunia, ad solutionem primitiarum temporis. Item in V. T. in quatuor mensibus scribuntur fuisse jejunia Zach. 8, 19. E. in N. T. debent esse quatuor temporum jejunia. Jejunio autem quartæ & sextæ feriæ patrocinium quærunt in verbis Christi, dicentis Matth. 9, 15. *venient dies, quando auferetur sponsus, & tunc jejunabunt*. Sed feria quarta Judæi tractarunt de occidendo Christo, sexta autem feria crucifixerunt ipsum. E. illis diebus jejunandum est. Sed quam solidæ hæ sint rationes, videre est apud Theologos passim, imprimis verò *Rivetum Cathol. Orthod. tractat. 2. quæst. 10. 13. & 14.*

jejunium quartae et sextae feriae.

§. XVII. Stata quoque jejunia ab Æthiopibus Christianis quovis die Mercurii & Veneris, in memoriam tum consilii sanguinarii, tum mortis Christi, ad occasum usque solis observari; ut & 40. diebus pane & aqua, per tempus quadragesimæ, contentos illos esse testatur *Damianus à Goes in Pet. Martyris Ocean.* Pariter & Moscovitæ quadragesimale tenent jejunium, cui septem assignant septimanas, quarum prima ita esuriunt, ut & à carnibus & piscibus abstineant, butyrum tamen, lac, ovaque comedant, egregiè interim & strenue potando jejunium istud compensantes. Reliquæ sanctius transiguntur. Nec minus Mahumedani ex instituto Prophetæ sui, annuum totius mensis Ramadani jejunium observant. Verba ejus ex cap. 2. Alkorani ex parte invenies apud Clariss. *Hakspanium Syllog. Disp. p. m. 547.* vide & *Fureri Itin.* qui refert, quod Turcæ mense Martio, spatio 30. dierum, ne minimum quidem gustent per totum diem, usq; ad vesperam (quamdiu etiam omnes cauponæ clausæ) ubi è templis redeunt. Addit tamen, quod iidem totam noctem lautissime vivendo insumant, & quod mane etiam, antequam oriatur sol, vesci sit liberum, ubi tales plerumque sumunt cibos, qui toto die sitim non excitant. Conf. *Elmazin. lib. 1. hist. Sarac. c. 1. Hoornbec. controv. relig. l. 3. p. 158.*

§. XIIX. A tempore jejunii progredimur jam ad *cibos jejunanti cavendos*; Ubi sane mira variaque, pro gentium varietate, deprehendimus recepta. *Volateranus lib. 13. c. 4.* scribit: Amphiaraum summum Vatem jussisse sacerdotes, qui responsa clara accipere & reddere vellent, integrum diem à cibo, à vino

autem

autem triduo abſtinere. *Alexand. ab Alex.* refert, apud Tracenios, qui ad Aridali aram rem divinam facere, & Deorum reſponſa petere vellent, per integrum diem à cibo, à vino autem per triduum abſtinuiſſe. Iſidis ſacris initiandus *Apulejus Medaurenſis*, decem continuis diebus jubetur cibariam voluptatem coercere, neque ullum animal eſſe, & invinius eſſe. *l. 11. Metam. p.m. 268.* Armeni in jejunio quadrageſimali nil de ovis, lacticiniis, carne, oleo vinoqve guſtant, ſolis contenti radicibus, fructibus & pulte *Brerewod. ſcrutin. relig.* Monachi Græci Calogeri in quadrageſima & reliquis jejuniis, ne piſcibus quidem veſcuntur, aut re aliqua, quæ ſanguinem nutriat, ſolis hortenſibus herbis & leguminibus, etiam absque olei condimento, & piſcibus ſalitis vel ſiccatis contenti, vide *Cotovicum itiner. Hieroſol.* *Chriſtiani,* ait *Socrates Hiſtor. lib. 5. c. 21.* ſecundum alios 22. *de abſtinentia à cibis variam ſeqvuntur rationem. Nam alii omnino ab omni animantium genere abſtinent: alii inter animantia piſces ſolos comedunt; alii, cum piſcibus volucres etiam manducant, easque ex aqua (ut eſt apud Moſen) naſci aſſerunt: alii à fructibus duris integumentis involutis* (græci ἀκρεδρύων in hiſtor. tripart. lib. 9. c. 38. Caſſiodori *caulibus*, & in margine, caſeis, baccis,) *& ab ovis temperant: alii arido pane ſolo veſcuntur, alii ne illo quidem. Sunt qui cum ad horam nonam jejunaverint,* ἀδιάφορον ἔχουσιν τὴν ἑστίασιν *ſine diſcretione ciborum reficiuntur,* (interprete Caſſiodoro) vid. *Rivet. t. 1. tract. 2. quæſt. 11.* Judæi hodierni, cum menſis labitur Julius, iisdem nimiopere ſemper infauſtus, à primo die ad decimum usque, nullam comedunt carnem, nullum bibunt vinum. Die octavo tantummodo lentibus, in mœſtitiæ ſignum, veſcuntur. Erva, fabas, leguminaque ſimilia non edunt, hanc aſſignantes rationem, quod lentes lineam nigram ori ſimilem, quæ apparet in ervis, fabis, & ſimilibus non habent, ideoque nec os ullum, & idcirco hominem triſtem, qui velut os non habens nihil loquatur, repræſentant. *Buxt. Syn. Jud. c. 25.* Vel ſi rationes phyſicas mavis, quod lentes lugubris ac melancholicus ſint cibus, ex ſententia Galeni & Dioſcoridis (apud *Cæl. Rhodig. l. 23. A. L. c. 22.*) quibus in animis veſcentium æquanimitas quædam & quaſi lentitudo concitetur, ut vult *Plinius lib. 18. N. H. c. 12.*

§. XIX. *Ritus* denique Jejuniorum quod attinet, hi itidem apud varios erant varii. In veteri Instrumento jejunantes ab omnibus vel certe delicatioribus cibis abstinentes somnum oculis suis non usurpabant; purpuram & holoserica deponentes induebantur sive cingebantur saccis, vestes item scindebant & lacerabant; insuper abstinebant à conjugum mutuo amplexu, ab unguentis & lotionibus, fletibus & planctu omnia implentes: incedebant incurvato capite, desolati sedebant, humi cubantes quandoque, capiti cinerem inspergebant in pulvere considentes, ab omni labore feriabantur, sacrificia ex lege Deo offerentes. Vid. *Ravanel. Bibl. S.* in voce *Jejunium.* Quibus B. *Chemn. part. 4. Exam. C. T. de Jejunio* addit ex 1. Sam. 7, 6. quod Israelitæ jejunantes hauserint aquam eamque coram Domino effuderint, dicentes: *peccavimus Domino.* Usi autem sunt illa aquæ effusæ ceremonia, in signum & commonefactionem humiliationis, quasi dicerent: nos sumus coram te propter peccata, tanquam aqua hæc effusa, quæ conculcatur, diffluit & absorbetur.

§. XX. Hisce Judæi, traditionibus mire addicti, ex Scribarum instituto nonnullos alios addunt ritus: In jejuniis enim propter angustiam populum invadentem clangunt tubis. Quod si vero in sanctuario fuerint, clangunt & tubis & cornu; (Cornu quidem sonum fractum edit, sed tubæ fixum & æqualem.) Vide plura de his jejunantium ritibus apud *Majmon. tract. de jejun. Hebr. c. 1. §. 4. & c. 4. §. 14. seqq.* D. *Geierum de luctu Hebræor. c. 20. §. 13. Buxtorf. Synag. Judaicæ c. 25.* ubi refert, quod in jejunio tertio, mense quinto (Julio), die nimirum 9. mensis ejus observato, quia templum eo die inflammatum in cineres redactum est, discalceati incedant, super terræ solo sedentes, historias tristes & threnos Jeremiæ legentes, in cœmeterium sese conferentes, ibidem quoque conquerantur, cumque animabus vita functorum mœreant.

Cap. II.

De Jejunio Christi Quadragesimali.

§. I.

PRæmissa sic aliquali, quamvis nimis jejuna jejunii consideratio-

ratione, thema nostrum recta nunc aggredimur, Quadragesimale meritissimi Salvatoris jejunium pro ingenioli modulo tractaturi.

§. II. Observandum autem hic statim sub ingressum venit illud, quod summus Theologus *B. D. Joh. Gerhardus in disp. Academ. tom. I. p. m. 1070. de miraculoso jejunio* monet, scilicet illud fuisse vel *ψιλῶν ἀνθρώπων* ac *typicum*, ut Mosis & Eliæ in V. T. quorum uterque divino miraculo ad doctrinæ confirmationem jejunavit; vel *θεανθρώπου* & *planè singulare*, Christi scilicet Jesu, Salvatoris nostri.

§. III. *Mosis* jejunium describitur Ex. 24, 18. & 34,28. Deut. 9,9. 18. 25. c. 10,10. *Eliæ* 1. Reg. 19,8. *Christi* autem Matth. 4, 2. Marc. 1, 13. Luc. 4, 2. Circa quod imprimis nobis notanda venit (1.) *occasio*, (2.) *tempus*, (3.) *locus*, (4.) *forma* & (5.) *finis*. De singulis breviter.

§. IV. Postquam enim Salvator noster à Johanne Baptista, ejus Præcursore, in aqua Jordanis, baptismi sacris initiatus, & ad ministerium suum obeundum solemni Patris cœlitus delapsa voce, & Spiritus S. in specie columbæ super ipso apparitione inauguratus fuerat, quo summa infirmitate & humili exinanitione ministerium suum aggrederetur, εὐθὺς statim, illicò, ut Marcus c. 1, 12. dicit, ἐκβάλλει αὐτὸν τὸ Πνεῦμα εἰς τὴν ἔρημον, *expellit ipsum*, non invitum aut motione coactiva, sed sicut operarii in messem Domini mittendi, peculiari Spiritus S. impulsu aguntur Matth. 9,38. Luc. 10, 2. Matthæus utitur vocabulo ἀνήχθη, submotus & quasi è medio sublatus est; & videri posset talis fuisse ductus, sicut de Elia scribitur 1. Reg. 18, 12. 2. Reg. 2, 16. & de Ezechiele c. 3, 12. & c. 11, 1. Lucas tamen, c. 4,1. hoc vocabulum Matthæi explicat per ἤγετο, quod de peculiari interiori impetu & impulsu Spiritus S. usurpatur Rom. 8, 14. Gal. 5, 18. Ductus igitur fuit Salvator à Spiritu S. in desertum, ibique per quadraginta dies & noctes jejunavit. Mirabilem autem hic notamus καταστροφήν. Summam enim Christi majestatem & gloriam in baptismo collatam, subito sequitur profundissima exinanitio, qua ipse etiam Dei Filius, Satanæ illusionibus & tam diuturno jejunio fuit expositus. Verum hac de re Theologi alibi prolixè agunt. 1.) occasio

§. V. Et hæc de occasione, quam excipit *tempus* jejunii hujus; circa quod observandus venit tum *terminus à quo*, tum *terminus ad quem*. *Terminus à quo* definiendus erit ab anno baptismatis Christi. Quia enim teste Marco c. 1, 12. εὐθὺς confestim, statim post baptismum suum Christus in desertum fuit deductus, ibique jejunium incepit, annus ætatis Christi, quo est baptizatus, erit etiam annus jejunii.

§. VI. In determinando autem anno baptismatis Christi mira est Autorum varietas. Nos saltem quorundam sententias recensebimus, judicioso lectori κρίσιν relinquentes. *Epiphanius hæres. 51.* ait, Christum cum baptizaretur fuisse annorum 29. & mensium 10. *Historia Scholastica* (cujus Autor est *Petrus Comestor*, qui floruit circa annum Ch. 1150. *B. Chemn. prolegom. in Harm. c. 2. B. Gerhard. Patrolog. p.m. 582.*), *Lyranus*, & his vetustiores *Apollinaris* & *Victorinus* posuerunt Christum baptizatum esse in principio anni trigesimi ætatis, cum vicesimus nonus annus completus esset, & præterea usque ad sextum Januarii exacti dies tredecim. Sed hanc sententiam cum particula ὡσεὶ, quæ extat Luc. 3, 23. non stare posse, existimat *B. Chemnit. proleg. in Harm. c. 3. Sicut enim*, inquit, *quando dicitur, erant quasi quinq; millia, non intelligitur quod fuerint tantum quatuor millia & ultra vel decem, vel triginta; sed quod numerus non procul abfuerit à quinque millibus. Aliàs enim diceretur: erant quasi quater mille. Ita si Lucas voluisset notare annos tantùm 29. & paucos dies, tredecim scilicet ultra, non dixisset: erat quasi triginta annorum: sed quasi viginti novem annorum.*

§. VII. Alii duo illa vocabula, ἀρχόμενος ὢν, non referunt ad annorum supputationem; sed ita interpretantur: Jesus ἀρχόμενος, h. e. cum in baptismo à Patre inauguratus inchoaret ministerium suum, erat quasi annorum triginta: ὢν existens, sicut putabatur, filius Josephi. Quæ sententia *B. Chemnitio l. c.* concinna & optimè cum Grammatica conveniens videtur. Est igitur mens *B. Chemn.* ut videre est ex ipsa *Harmon. c. 17.* Christum anno ætatis 30. nondum completo, sed fermè ad finem vergente, baptizatum esse.

§. VIII. Alii vero, inter quos est *Josephus Scaliger l. 3. Ca-*

nonum

nonum Isagog. putant, Christum ad baptismum accessisse trigesimo anno completo & trigesimo primo ineunte. *Nobis*, inquit, *ex usu loquendi constat, Christum ad baptismum accessisse trigesimo anno completo, & trigesimo uno ineunte.* ἦν ἀρχόμενος ὢν ἐτῶν τριάκοντα: *incipiebat esse annorum triginta. Hoc non potest dici de eo, qui init trigesimum annum, sed de eo, qui nuper triginta annos ætatis complevit: & cum trigesimum primum natalem suum celebrat, ille verè est* ἀρχόμενος ὢν ἐτῶν τριάκοντα. Et post pauca: *Neq; aliter interpretatur Theophylactus: neq; aliter vulgò loquimur. Quis enim sanus dixerit: se esse triginta annorum, qui trigesimum annum tantum inchoarit?* Idem sibi objicit adverbium ὡσεὶ, & respondet sibi *lib. 6. de emendatione temporum* h. m. *Hebraismus* ὡσεὶ *advertendus, quo utuntur nunc affirmanter, nunc dubitanter: id exprimentes per literam suam servilem Caph. Duplicis enim notionis est. Aut enim est Caph* ἀποῤῥητικόν, *seu* στοχαστικὸν *illorum idiomate ita nominatum: aut Caph, quod* ἀληθινὸν *vocant, cujusmodi est in hoc loco Lucæ. Eo enim utuntur, cum ita rem affirmant, ut de ea dubitari minimè debeat: ut Johannis primo:* δόξαν ὡς μονογενοῦς: *ubi* μονογενῆ, *affirmanter vocat.* conf. *B. Glass. Grammat. S. lib. 3. tract. 3. canon. 3.* Eandem quoque cum Scaligero sententiam tuetur *Isaac. Casaubon. Exerc. 13. in Baron. c. 9.* ipse tamen novam addit adhuc rationem, quia scilicet apud Judæos ministerii sacerdotalis ætas legitima erat annus 30. exactus, admodum probabile esse, Dominum nostrum ad ministerii sui functionem non prius accessisse, quam illum annum implesset. Nec abludit *August. Torniellus in Annal. Sacr. & Prof. tom. 2. p. 378.* qui statuit fuisse diem 6. Januarii, anni ætatis Christi 31. quo in desertum sit abductus. Idem quoque diem 16. Februarii determinat, quo cœperit Christus esurire, innuens *terminum ad quem*, dies nempe 40. exactos.

§. IX. Succedit jam *locus* jejunii hujus quadragesimalis, qui ab Evangelistis vocatur ἔρημος, non determinando quale fuerit desertum, cùm tamen partim in Judæa, partim in Galilæa plura fuerint deserta: *B. Chemn. cap. 19. Harmon.* putat hic intelligi desertum illud Magnum, in quo filii Israel per 40. annos vagati sunt, his motus rationibus. (1.) quia reliqua deserta per additionem

nem aliquam circumſcribuntur, ut deſertum Judææ, Ziph, Maon &c. Deſertum vero Magnum ſimpliciter, ſine additione, quaſi per Antonomaſiam vocatur ἡ ἔρημος. (2.) In reliquis deſertis vel alicubi quædam ſunt hominum habitationes: ſed in deſerto hoc fuit Chriſtus cum feris per 40. dies. (3.) Quæ hic deſcribuntur, pulchrè accommodari poſſunt ad typum filiorum Iſraelis in deſerto. Eſt enim ibi locus tentationis Ex. 17, 7. Eſt locus, ubi non in pane vixit homo Exod. 16, 4. Et Chriſtus ipſe hos locos in tentatione allegat. Ibi Moſes, ibi etiam Elias jejunavit 40. diebus & 40. noctibus. vid. *Prolegom. in Harm. c. 4.*

§. X. *Scholaſtici* vero, & plurimi Interpretum Eremum hanc dicunt eſſe montem arduum, in quem Chriſtus diſceſſit, non longè diſtantem à loco, in quo erat à Johanne baptizatus. Locum autem hunc, docente *Bonaventura de vita Chriſti c. 16.* diſtare à Jeruſalem decem & octo milliaribus. Montem vero jejunii à loco baptiſmi ſejunctum eſſe, eodem *Bonav.* teſte. *c. 17.* milliaribus ferè quatuor, & à Jericho duobus tantum milliaribus, notante *Aranda*, terræ ſanctæ exploratore *c. 27.* Quarantanam hoc tempore appellari ſtatuunt, ob jejunium Chriſti 40. dierum. In præalti hujus montis cacumine conſpici ſacellum ruinoſum, jejunio & oratione Chriſti venerabile, & quæ aliæ hac de re traditiones hinc inde occurrunt. Vid. *Borchardus* oculatus hujus montis teſtis, *part. 1. c. 7. §. 28.* & *Adrichomius in deſcriptione tribus Benjamin n. 97.* citante *Barradio in Comm. in Concord. & Hiſtor. Evangel. tom. 2. lib. 2. c. 1.* conf. *Heidmanni Palaſtinam c. 7.*

§. XI. *Fridericus Spanhemius in dub. Evangel. p. 3. dub. 50.* refert quosdam hic ad allegoricum interpretamentum delabi, urbem Hieroſolymam hic intelligendam cenſentes, ut *domum deſertam*, plenam feris. Ipſe vero, refutata hac opinione & recenſitis aliorum placitis, in re tam incerta τὸ ἐπέχειν arripit.

§. XII. *Formam* deinde jejunii hujus quod attinet, eam conſiſtere putamus (1.) *in ἀσιτίᾳ & abſtinentia totali ab omni cibo*, id quod expreſsè Lucas teſtatur c. 4. 2. inquiens οὐκ ἔφαγεν οὐδέν. Obſervat autem ad talem loquendi formulam *B. Glaſſ. Gramm. S. l. 3. tract. 5. can. 20.* (a) quod duæ negationes apud

apud Græcos fortius negent. (2.) quod si ὀ vel οὐκ cum οὐδεὶς nullus vel οὐδὲν nihil conjungantur, tum nomina illa negativa per quisquam vel quicquam latine esse exponenda, sic Luc. 20, 40. *& amplius οὐκ non audebant interrogare eum οὐδὲν nihil* h.e. quicquam. Conf. Joh. 5, 30. c. 12, 19. c. 15, 5. c. 16, 24. (2.) *per 40. dies & 40. noctes continuata*; quod innuit Matth. c. 4, 2. qui procul dubio ideò hæc tam sollicite notavit ex inspiratione Spiritus S., ne existimaretur Salvatoris nostri jejunium tale fuisse, quale Judæi tum temporis celebrabant, per diem jejunantes, in vespera & nocte autem cibum sumentes, prout supra notavimus. Si verò quæratur, cur jejunium Christi ad 40. dies & totidem noctes protractum fuerit, nec vel citius finitum, vel ulterius extensum? Nihil hic moramur scholasticorum subtilitates, de numero quadragenario, de quo alibi. Videtur potius hic in sola Christi voluntate subsistendum esse, cui, Mosis & Eliæ exemplo, hanc jejunio suo periodum præfigere placuit, tum ut consensum suum cum illis exprimeret, tum ut miraculum indicaret. Adde, quæcunque alia periodus selecta fuisset, quæstionem semper redituram. (3) *& quidem sine fame & esurie.* Siquidem post exactos demum 40. dies & 40. noctes ὕστερον ἐπείνασε, qua locutione uterque Evangelista Matth. 4, 2. & Luc. 4, 2. utitur. Mira iterum hic est Scholasticorum curiositas, anxiè quærentium, qua ratione tot dierum & noctium jejunium à Christo sustineri potuerit, qua ratione corpus ipsius nutritum, an per intentionem virtutis nutritivæ prioris cibi, an per suspensionem actionis caloris naturalis, an per corroborationem humoris radicalis, an per retentionem appetitus, & aliis id genus modis? Tutissimum videtur in hisce acquiescere, quæ nobis revelata sunt. Satis est si res teneatur, modus ignorari potest sine dispendio.

§. XIII. Restat adhuc *finis* expendendus, cur Christus jejunium hoc quadragesimale susceperit, cum id indecorum videatur, & non conveniat cum summa dignitate & sanctitate Christi. Jejunium enim aliàs solet suscipi vel ad edomandam carnis pravæ libidinem & concupiscentiam, vel ad avertenda judicia Dei propter peccata vel præsentia jam, vel adhuc imminentia, ut supra *cap. I.* ostensum. In Salvatore autem nostro, immaculato illo

agno, nec ἀθεΐα fuit, nec obnoxietas ad judicia Dei, quippe cujus Filius unigenitus & chariſſimus erat. Sed hiſce nihil obſtantibus, ſapientiſſimus tamen Salvator prægnantes adhuc habuit cauſas, ſive fines, quibus motus miraculoſum hoc ſuſtinuit jejunium. Potiſſima ratio videtur petenda eſſe à ſummè ſapienti ejus conſilio & voluntate, cui id expedire viſum eſt. Subjungi tamen poſſunt aliæ haud ſpernendæ, ſcilicet ut oſtenderet Salvator noſter, munus ſibi extraordinarium incumbere, quale Moſi, ad publicationem cultus divini, Eliæ ad inſtaurationem ejusdem olim incubuit; ut peccata noſtra expiaret, ut verum jejunium nobis commendaret, & quæ aliæ recenſentur à *B. Joh. Gerhard. Hom. I. Dom. Invocavit, Fried. Spanhemio Dub. Evang. part. 3. dub. 53.*

CAPUT III.

De Quadrageſimali Pontificiorum jejunio.

§. I.

EXpoſitis ſic *II. capite*, quæ videbantur facere ad thema noſtrum de jejunio Chriſti quadrageſimali, *III. hoc capite* quadrageſimale Pontificiorum jejunium, quod ex jejunio Salvatoris noſtri mille rationum fidiculis exſculpere ſatagunt, pauliſper excutiemus, & quam infirmo nitantur tibicine, quoad fieri poteſt, breviſſimè oſtendemus.

§. II. Invariatæ quidem Auguſtanæ Confeſſioni addicti jejunia penitus non improbant, ut à Pontificiis *Bellarm. lib. de notis Eccleſ. c. 9. §. Aëriani.* it. *lib. 2. de bonis operibus. Maldonato in Summul. quæſt. 23. art. 12. Stapleton. in Promt. Cath. Dom. I. Quadrag. p. 89.* & aliis accuſantur, cum potius ipſa *Auguſt. Confeſſ. art. 5. de diſcrimine ciborum* hanc calumniam avertat, inquiens: *Hic objiciunt Adverſarii, quod noſtri prohibeant diſciplinam & mortificationem carnis, ſicut Jovinianus. Verum aliud deprehendetur ex ſcriptis noſtrorum. Semper enim docuerunt de cruce, quod Chriſtianos oporteat tolerare afflictiones. Hæc eſt vera, ſeria & non ſimulata*

simulata mortificatio, variis afflictionibus exerceri & crucifigi cum Christo. Cui adstipulatur *Confess. Würtenberg. in cap. de jejunio: Jejunium sentimus utile esse, non in hoc, ut vel operis sui merito expiet peccata coram DEO, vel applicet jejunanti meritum Christi, sed ut sobrietate carni injiciat frenum, ne homo crapula & ebrietate impeditus, vocationi DEI minus obsequatur, & suo officio oscitanter defungatur.* Conferantur Theologi nostri passim.

§. III. Quod &, veritatis hisce radiis compulsi, nonnulli Adversarii lubentes fatentur, *Cassander consult. art. 15. In Confessione Saxonica,* inquit, *protestantium Principes aperte scribunt, se publicæ pacis causa stata jejunia & hujusmodi traditiones libenter observare velle, his conditionibus, ut doctrina Evangelii de Justificatione per fidem sincere tradatur, nec in illarum traditionum observatione justitia & fiducia salutis collocetur.* Neve Cassandri testimonium repudietur, addimus ipsorum Jesuitarum suffragium. *Pererius in Comment. Rom. cap. 14. disp. 3. n. 20. Philippus Melanchthon non negat jejunii & rerum indifferentium observationem posse homini prodesse & conducere ad cultum DEI; non tamen immediatè, sed mediatè, facit enim jejunium, ut homo sit aptior ad fundendas preces, in quibus est cultus DEI.* Ipse etiam *Bellarm.* sui quasi oblitus *l. 2. de B. O. in partic. c. 11. in princip. Brentius & alii Protestantium docent, jejunium utile esse ad carnis petulantiam coërcendam, ad orationis auxilium, ad signum humilitatis & patientiæ.* non mediate, sed immediate!

§. IV. Hoc tamen Pontificiis largiri non possunt, quod ore impudente & in sufficientissimum Christi meritum injurio non verentur dicere, jejunium suum quadragesimale, ad imitationem Christi, ut ipsis videtur, susceptum, peccata expiare, DEum placare, meritoque suo beneficia divina impetrare, impetrata custodire, & quæ aliæ hujus monetæ formulæ in ipsorum scriptis passim reperiuntur. Vid. *Azorius lib. 7. Inst. c. 21. §. certe. Petrus à Soto in assert. fidei Cathol. p. 49. Bellarm. lib. 2. de B. O. in part. c. 11. Gregorius de Valentia tom. 3. disp. 9. quæst. 2. punct. 2. Staplet. in Promptuario* (κατ' ἀντίφρασιν) *Catholico. Dom. I. Quadrag.*

§. V. Sed dispiciendum nobis jam erit, quid rationes Pon-

ficiorum in recessu habeant, & an id solidè probent, quod probandum erat. Palmarium ipsorum argumentum, & quod quam maxime ad institutum nostrum facit, desumtum est ab exemplo Christi. In forma forsan erit tale:

Cujuscunque exemplum ipse Christus nobis suppeditat, illud nobis summo studio est imitandum.

Jejunii quadragesimalis exemplum ipse Christus nobis suppeditat. E.

§. VI. Verum quid hoc aliud est, quam argumentari à baculo ad angulum? ut scitè arguit *D. Joh. Meisnerus Exerc. 2. in Matth. §. 3.* Distinguendum enim est circa majorem inter exemplum Christi *ordinarium & extraordinarium.* De ordinario si intelligatur major, ambabus eam largimur manibus. Sed sic minor falsitate non caret, cum exemplum hoc jejunii Christi quadragesimalis non sit ordinarium, sed extraordinarium & miraculosum. Sicut exemplum Christi Salvatoris nostri in rebus imitandis sequi laudabile est; ita in actibus quibusdam singularibus & extraordinariis præsumtuosum foret & ridiculum illud imitari. Absurdus enim esset, qui Christi exemplo panes multiplicare, vinum in aquam convertere, ventis imperare, ac mortuos resuscitare conetur. Pulchrè hac de re *Augustissimus Hipponensium Præsul* scribit *in Psalm. 90. In quo imitaturi sumus vias Christi? Numquid in ea magnificentia, in qua DEus erat in carne? Aut ad hoc nos exhortatur, aut hoc à nobis exigit, ut talia miracula, qualia fecit ipse, faciamus? Non hoc dixit, non eris discipulus meus, nisi ambulaveris super mare, aut nisi suscitaveris mortuum quatriduanum, aut nisi oculos cæci nati aperueris: nec hoc. Quid est ergo intrare per januam? Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Et *Chrysost. in Matth. Homil. 47. Non enim dixit jejunium suum esse imitandum, quamvis quadraginta illos dies posset proponere: Sed, discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Imò vero contra, cum Apostolos ad Evangelisandum mitteret, non dixit jejunate, sed quicquid vobis apponitur, edite.*

§. VII. Sed hic excipere videntur Pontificii, nominatim *Stapletonus l. c.* inquiens: *Neque enim vel nihil in Christo est imitandum, (quod contradicit Petri verbis 1. Petr. 2. imò & Christi dicentis:*

centis: In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilexeritis ad invicem, sicut ego dilexi vos Joh. 13. Ubi suam dilectionem nobis imitandam proponit) vel omne, quod vires nostras superat. Quid ergo in Christo imitandum sit, quid non, docere nos debet Ecclesia, per doctrinam sanctorum Patrum, non superba hæresis.

§. VIII. Ast præterquam quod hæc sit insufficiens disjunctio, cum detur adhuc tertium: aut nihil, aut omne, aut aliquid in Christo est imitandum; negamus etiam Ecclesiam per sanctorum Patrum doctrinam nos docere, Salvatorem nostrum in jejunio suo quadragesimali esse imitandum.

§. IX. Etiamsi enim Patres, dum commmendant jejunium, auditoribus suis exemplum quadragesimalis jejunii Christi suo modo imitandum proposuerint, bene tamen monet *B. Chemnitius part. 4. Exam. C. T. pag. 763.* Patres, dum encomia jejunii nimis rhetoricè amplificare voluerunt, multa testimonia ex Scriptura, quæ de jejunio propriè non loquuntur, huc detorsisse, & hanc catachresin non pauca incommoda huic doctrinæ attulisse. Simili quoque catachresi, dicit, omnes fermè ad jejunandum exhortatos esse Ecclesiam inde, quia Moses, Elias & Christus per quadraginta dies & noctes sine aliquo cibo, usu jejunii, perseverarunt. Idem etiam accidit sanctis illis doctrinæ cœlestis propugnatoribus, ubi jam deventum fuit ad finem & fructum jejunii, ibi sæpissimè ea, quæ vel pœnitentiæ vel fidei propria sunt, jejunio, tanquam causæ remotiori, Rhetorica amplificatione tribuerunt. Existimarunt enim se hujusmodi rhetoricis aggregationib9 efficacius posse homines ad suscipienda & exercenda jejunia permovere: Sicut *Chrysost.* ipse ingenuè fatetur in libro de compunctione cordis quædam cohortatoriè magis, quam verè dici; Unde & in aliis locis semetipsos quam dexterrimè explicant.

§. X. Et ut rem in pauca contraham, & uberrimam messem in manipulos stringam, potissimum titulo imitationis Christi, ut audivimus, Pontificii jejunium suum quadragesimale commendare solent, sed admodum jejunè. Si enim est imitatio, cur quotannis repetitur? cum semel tota vita tale jejunium Christus susceperit. Deinde si exemplum hoc est, quod sequi debeamus; eadem fuit in Mose & Elia ratio. Cur ergo tot sancti Re-

ges & Prophetæ imitationem hanc neglexerunt? Tota certè vetus Ecclesia non parvo reatu tenebitur. Cur etiam Dominus ipse, cum adhuc in terris ageret, sui exempli nullam inter discipulos haberi rationem passus est? Excusat enim eos, quod non jejunent. Præterea num hoc est æmulari quadragesimale Christi jejunium, abstinentia qualicunque defungi? Abstinere à carnibus, interim tum delicatissimis cupediis, varieque præparatis piscibus, tum generosissimo vino uti.

§. XI. Taceo jam insignes abusus, qui in Pontificiorum jejunio etiam quadragesimali observare licet, quos colophonem capiti huic impositurus, paucis attingam verbis *Mart. Peresii Episcopi Guidixiensis de tradit. part. 3.* ubi graphicè de ludibriis jejuniorum Papisticorum agit. *Pudet certè me*, inquit, *loqui de hac virtute sacrosancta* (jejunii) *quæ nominetenus hodie in Ecclesia observatur, nam neque apud eos solùm, qui jejuniorum præscriptiones damnant, neque apud nos, qui meritò eas defendimus, in usu sunt sancta jejunia, nisi tantùm secundum quandam externam ceremoniam. Putamus enim nos jejunare, nisi semel in die usqvè ad ingluviem prandium faciamus, probè poti, & melius pasti: Sumentes cibos non pro naturæ sustentatione, aut unius diei duntaxat, sed in tanta qvantitate, ut vel Miloni olim pro tribus diebus potuissent sufficere. Taceo qvalitatem & differentiam cibariorum & condimentorum. Tam neqve mare neqve terra, neqve aer, neqve salsamentarii sufficiunt gulæ nostræ. Et utcunqve tolerabile esset, si hæc ingluviei contagio solos laicos comprehenderet, & non potius multos nostri ordinis Sacerdotes, religiosos & Prælatos Ecclesiæ pervaderet, quos video huic rei tantum invigilare, ut potius ad ventris voracitatem natos esse dixeris, quam ad imitandam Apostolicam modestiam, in fraudem pauperum, & destructionem castitatis, quæ cum sanctis jejuniis terras jam videtur reliquisse.*

Caput IV.

Socinianorum Matæologiam circa jejunium Christi quadragesimale exhibens.

§. I. Restat

§. I.

REstat adhuc, ut Pontificiorum κακοζηλία depulsa pedem promoveamus ad monstrosum illud Socinianorum commentum, quo, destituti omnibus Scripturæ fundamentis, omni antiquorum Doctorum consensu, blasphema insuper decepti hypothesi, in Christo non dari duas naturas, divinam & humanam, statuere non erubescunt, Salvatorem nostrum tempore jejunii quadragesimalis non fuisse in deserto, sed sub initium illud ministerii sui adscendisse in cœlum, & ibi à Patre mysteria cœlestia edoctum, sic rursum in terram descendisse.

§. II. Ut autem res fiat clarior, juvat paulisper inspicere in illorum sententiam, & fundamenta, quibus nititur, brevissimis excutere. Verba Socinianorum, quibus sat clarè suam mentem explicant, qui legere vult, adeat *Socin. tract. de DEO, Christo & Spiritu S. p. 12. Osterodum in Institut. German. c. 16. p. 91. Catechesin Racov. maj. c. 1. de persona Christi. Smalcium de divinit. Christi c. 4. contra D. Franzium p. 74. contra Hermann. Ravensbergerum fermè sub finem, & contra Martin. Smiglecium de verbo Incarn. c. 8. Joh. Volkelium lib. 3. de vera religione c. 5. Schlichtingium in cap. 3. Joh. alios.*

§. III. Argumenta autem, quæ pro probanda hac sua sententia adducunt, partim desumunt ex Scriptura, partim ex ratione. Præsupponunt autem hic & pro evicto habent, Christum non habere duas naturas, divinam & humanam, sed tantùm humanam, quam in utero Mariæ virginis ex substantia matris suæ accepit, & propterea ante generationem suam temporalem non extitisse. Cum igitur ab Orthodoxis urgentur dictis Scripturæ, quæ divinitatem Christi aperte probant, & in quibus dicitur, de cœlo descendisse, de supernis esse, à Patre exivisse, qualia sunt Joh. 6, 13. c. 3, 31. c. 6, 38. c. 8, 23. c. 16, 28. quo se ex his expedire queant, & ne victas manus porrigere cogantur, duplicem adscensionem Christi fingunt; alteram quæ, secundum ipsos, facta sit, quando Salvator baptizatus & Spiritu S. donatus, quadraginta dies jejunavit: ibi enim Christum localiter in cœlum adscendisse, patrem suum vidisse, & ab eo mysteria salutis edoctum fuisse, ut mentem Socinianorum explicat *B. Joh. Gerhard. Disp. Acad. tom. I. p. m. 503.*

Alte-

Alteram, qua post resurrectionem ex mortuis in cœlum fuit sublatus.

§. IV. Confictam igitur hanc suam distinctionem ut aliquo probabilitatis colore incrustent, producunt locum ex Joh. 6, 61. *Hoc vos offendit? Quid igitur si videritis Filium hominis adscendentem eo, ubi erat prius?* Et c. 16, 28. *Exivi à Patre & veni in mundum. Iterum relinquo mundum & vado ad Patrem. In priori,* inquit *Smalcius de divinitate Christi c. 4. dicitur, Filium hominis adscendisse, ubi erat prius. Quo vero postea adscendit? Nemo est, qui nesciat eum adscendisse in cælos. In cælis igitur fuit, antequam illuc adscenderet, ut ibi perpetuo maneret. In posteriori similiter expresse affirmatur, Christum ita relicturum mundum, & iturum ad Patrem, ut exierat à Patre & venerat in mundum. At Christus reipsa & localiter ex mundo ad Patrem ivit. E. etiam statuendum est, eum reipsa & localiter à Patre venisse in hunc mundum, & consequenter eum prius in cælo fuisse, quam in mundum venerit.*

§. V. Deinde idem Smalcius ibidem, dicit admodum absurdum fore & videri sibi, Jesum in cœlis non fuisse antequam munus suum obiret, & Evangelium docere inciperet, & alio modo, quam per ipsam DEI conversationem & collocutionem, omnium eorum quæ nos docuit, cognitionem consecutum esse. Multum enim sane decederet præstantiæ & divinitati muneris Christi, si eodem, quo alii ante eum edocti fuerunt, ipse etiam doctus fuisset modo: Et, quod majus est: Si, qui post eum fuit, Apostolus Paulus, in cœlum fuit raptus, ut ibi doceretur ab ipso Christo ea, quæ alios docturus erat, qua de re etiam gloriatur plurimum, cur id quod servo contigit, Domino contingere non potuerit? Præstantiorine modo doctus fuerit servus, quam ipse Dominus? Moses, cum legem ei DEus daret, in montem sacrum fuit vocatus, ibi cum DEO per certum temporis spatium commoratus, deinde demum dimissus fuit, & ita eruditus à DEO, multa populum docuit, quæ ibi viderat. Umbra scilicet hæc fuere ejus, quod Christo eventurum erat, uti ipse Moses signum erat Christi. Idem argumentum etiam longo verborum ambitu, & multis schematum lenociniis pertractat *Schlichtingius in cap. 3. Johannis.*

§. VI.

§. VI. Priusquam autem ad hæc, quæ commentus eſt Smalcius, reſponſionem reponamus, ex hiſtoria Evangelica lubet paucis demonſtrare, hanc aſſertionem Socinianorum prorſus eidem repugnare, & ne apicem quidem hac de re in hiſtoria jejunii & tentationis Chriſti haberi, cum tamen quam maxime conveniens fuiſſet, tam publicum & illuſtrem actum, tam auguſtam Chriſti initiationem in cœlis factam, in ſcripturis ſacris, quæ aliàs res minoris momenti accuratè proſequitur, cũ omnibus circumſtantiis deſcriptam extare. Clare autem & uno quaſi ore Evangeliſtæ teſtantur, Chriſtum poſt baptiſmum à Spiritu S. εὐθὺς ſtatim, continuò, nulla interjecta mora, ut Marcus c.1,12. loquitur, abductum eſſe in deſertum. An in deſertum, & inde ex deſerto in cœlum? Minimè. In deſertum referunt Evangeliſtæ, cœli ne meminerunt quidem. Et ne quis ſibi forſan imaginetur, Chriſtum ideo à ſocietate hominum fuiſſe ſubtractum, in loca ſalebroſa & avia abductum, jejuniumque tam diuturnum ſuſcepiſſe, ut inde & hac occaſione in cœlum, doctrinæ ſuæ hauriendæ gratia aſſumeretur, Evangeliſta Matth. rationem addit c.4,1. inquiens: *Tunc Jeſus ſubtractus eſt in deſertum, πειρασθῆναι ὑπὸ τοῦ διαβόλου, ut tentaretur à Diabolo.* Non autem demum poſt quadraginta exactos dies, à diabolo fuit tentatus, ſed Marcus c.1,13. dicit: καὶ ἦν ἐκεῖ ἐν τῇ ἐρήμῳ, ἡμέρας τεσσαράκοντα, πειραζόμενος ὑπὸ τοῦ διαβόλου, καὶ ἦν μετὰ τῶν θηρίων, & Lucas 4, 2. ἡμέρας τεσσαράκοντα πειραζόμενος ὑπὸ τοῦ διαβόλου, innuentes, licet diabolus demum conſummatis quadraginta diebus Salvatorem noſtrum ipſe acceſſerit & loqui cum eo cœperit, ut Matth. c.4,3. refert, tamen antea ei externas tentationum occaſiones objeciſſe, penuriam ſcilicet rerum neceſſariarum, & diſcurſum ferarum, ut arbitratur *B. Chemn. Harm. Evang. c. 19.* Quid ſi autem ex eo, quo tentatus fuit Salvator, cœlum petiiſſet? Nec hoc verum. Aliam hac de re veritatem ſuppeditat Lucas c.4,13. narrans, Salvatorem poſtquam diabolus omnes tentationes conſummaſſet, reverſum eſſe cum virtute Spiritus in Galilæam.

§. VII. Ne jam quid dicam de eo, quod plane opus non habuerit Salvator, ut adſcenderet tum demum in cœlum & voluntatem Patris ſui addiſceret. Nam hanc jam antea noverat. Spi-

ritu enim S. plenus revertitur à Jordane, & actus eſt ab eodem Spiritu in deſertum Luc. 4,1. Eo baptizato vox cœlitus delapſa, eum Doctorem unicè audiendum declaravit, inquiens: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacuit.* Nota hic articuli ὁ bis repetiti ſingularem emphaſin. *Vid. Glaſſ. Gramm. Sacr. lib. 3. tract. 2. can. 1.* Quis autem ſibi unquam perſuadeat, Patrem cœleſtem in voluntatis ſuæ ignaro & demum erudiendo ſibi complacuiſſe. Taceo quod hic ſumme ſapiens Salvator duodecennis adhuc puer inter Seniores, Scribas & Sacerdotes interrogando & reſpondendo, admirabile edidit ſpecimen divinæ ſuæ ſapientiæ Luc. 2,46. 47. *In ipſo* enim *abſconditi erant omnes theſauri ſapientiæ & cognitionis* Col. 2,3. Sicco pede quoque prætereo, quod nulla idonea poſſit aſſignari cauſa, cur Chriſtus tempore jejunii quadrageſimalis adſcenderit in cœlum. Pro cauſa forſan afferent Sociniani voluntatis Paternæ revelationem; ſed ea jam ante Salvatori noſtro erat notiſſima; quippe qui unus cum Patre erat omniſcius DEus, ut modo diximus.

§. VIII. Quid quod inſuper etiam nativa & communis linguæ ratio Socinianis minimè faveat. Uſu quippe receptum, ut ex uno loco in alium ſecedentes, & inde rurſus priorem locum repetentes, dicamur: redire, regredi, reverti. Exempla ipſa nobis ſuppeditat N. T. Scriptura. Luc. 10; 35. Samaritanus iter inſtitutum proſequens, hoſpitem ita affatur: *ἐγὼ ἐν τῷ ἐπανέρχεσθαί με, ἀποδώσω σοι.* Luc. 8,37. De Chriſto à Gadarenis, in quorum fines non ita pridem ſeceſſerat, diſcedente, *ὑπέστρεψεν* dicitur. Et Paulus Act. 18,21. Corintho in Syriam navigaturus, dicit: *πάλιν ἀνακάμψω πρὸς ὑμᾶς.* Si igitur Chriſtus è terra prius in cœlum adſcendiſſet, & de cœlo iterum in terram deſcendiſſet, vel unico ſaltem in loco hujus deſcenſus ſui feciſſet mentionem, dicendo ſe vel rediiſſe, vel rurſum exiiſſe, vel regreſſum eſſe è cœlo aut à Patre. Sed tale quid oſtendant, ſi viri ſunt, Sociniani. Potius ubique Salvator dicit: exivi à Patre, deſcendi è cœlo, veni è cœlo &c. Cujus rei loca ſupra ſunt citata.

§. IX. Quo & accedunt verba Chriſti ad diſcipulos Emaus tendentes Luc. 24,26. *nonne oportuit hæc Chriſtum pati, & introire in gloriam ſuam?* Si igitur demum poſt paſſionem ſuam,

intrare

intrare eum oportuit in gloriam, qui factum fuisset, ut ante passionem in cœlum, gloriæ hujus non minimam partem, adscenderit? Et huc quoque collineat Autor epistolæ ad Hebr. 9, 12. inquiens: *Christus semel* (non bis) *ingressus est in sacrarium non manu factum*, id est, habitationem Patris cœlestis, explicante *B. Osiandro ad h. l.*

§. X. Quid autem ad hæc impia Socini turba? Excipiunt locum ex Luc. 24, 26. allatum non evincere, quod evincendum erat; cum adhuc bene stare possit: Christum ante mortem adscendisse in cœlos, post resurrectionem vero introivisse in gloriam suam veram. *In locum tantum gloriæ suæ ingressus fuit antea Christus: at post mortem in ipsam gloriam*, inquit *Smalcius contra Smiglecium de verbo Incarnat. c. 8.*

§. XI. Sed salva adhuc res est, nondum causa cecidimus. Ipsi Sociniani statuunt, Christum à Patre tempore quadragesimalis jejunii singulari modo in cœlum fuisse elevatum, in cœlum introiisse, ut Filium DEI, in cœlo per aliquot dies substitisse, cum Patre cœlesti familiariter conversatum fuisse, Patrem vidisse à facie ad faciem, uti scriptura loquitur, Patrem audivisse, Doctorem Optimum, Maximum, ab eodem hausisse doctrinam Evangelii, in cœlo ad munus propheticum initiatum fuisse, vitamque illam beatam, quam hominibus obtulit, ibi vidisse &c. Quid est introire in gloriam, si hoc non est? Manet igitur immotum & firmum, Christum ante passionem & mortem suam nec in locum gloriæ, nec in ipsam gloriam adscendisse.

§. XII. Deinde habere se quoque arbitrantur quod ad locum Hebr. 9, 12. excipiant. Dicit Smalcius loco supra citato, sermonem hic esse de ascensione Christi in cœlum, quatenus Sacerdos fuit, vel cum sacrificio; tali autem modo, semel tantum in sancta sanctorum ingressum esse Jesum.

§. XIII. Verum & hic nihil patrocinii invenit Smalcius. Summo enim Pontifici tantum semel in anno permissum fuit ingredi sancta sanctorum Hebr. 9, 7. Quemadmodum ergo summus Sacerdos semel tantum ex mandato DEI ingressus est sacrarium, ita & Antitypus Christus tantum semel debuit ingredi in cœlum Hebr. 9, 12. Regerit Smalcius: Potuisse tamen summum

Sacerdotem sub lege extra solemne sacrificium ingredi sanctum sanctorum, ac proinde etiam Christum, qui est Antitypus ejus, cœleste sacrarium. Sed quæ est sequela: A posse ad esse? Ad hæc cōtra claram hoc est literam Hebr. 9,7. 25. & c. 13, 11. nuspiam enim DEus voluit, ut extra ordinem sacrarium ingrederetur. Quicquid tamen fit de eo; in Cnristo adhuc nullatenus potuit locum habere gemina hæc in cœlum adscensio. Si enim ante mortem in superas sedes est evectus, ut voluntatem Patris sui addisceret, ut Propheta eo erit evectus. Sed detur ejus rei typus ex toto Vet. Test. Investigando citius deficies, quam invenies. Ast faciamus Christum ut Prophetam prius adscendisse, deinde ut Sacerdotem, quomodo hæc consistent cum verbis Apostoli, qui dicit *semel*, non δευτέρως & altera vice *Christum adscendisse in cœlum.* e. g. Si Princeps aliquis adhuc juvenis fuisset Viennæ, deinde autem Elector creatus Viennam iterum repetat: num poterit dici semel tantum ingressus esse Viennam, vel, semel Viennæ fuisse?

§. XIV. Restat nunc ut ad argumenta Smalcii respondeamus. Monendum autem hic prius est, hypothesin illam, qua statuitur, Christum Salvatorem nostrum demum in utero Mariæ virginis cœpisse, & sic nudum tantum hominem esse, plane esse falsam & blasphemam, ne durius quid dicam, ut Theologi Orthodoxi omnibus temporibus, contra Photinianos & alios χριστομάχους invictis argumentorum momentis probarunt, ut exinde facile appareat, quam ruinosum fundamentum sit, cui ædificium suum, stolidam suam opinionem Sociniani superstruxerunt. Quod igitur attinet primum argumentum ex Joh. 6,61. & c. 16,28. petitum, ex dicto priori fortean talis posset strui syllogismus:

Quicunque adscendit in cœlum, ubi erat prius, illum eò antea è terris adscendisse oportet.

Filius hominis adscendit in cœlum, ubi erat prius.

E. Filium hominis antea è terris eò adscendisse oportet.

Respondemus, majorem non esse universaliter veram, & variis instantiis posse infringi. Nam cum Dominus descendisset è cœlo ad confundendam linguam hominum, Gen. 11,7. & iterum adscendisset, rectè dici potest, Deum adscendisse in cœlum, ubi erat prius, nec tamen necesse est, illum eò antea è terris adscendisse. Similiter

liter cum Spiritus S. qui *descenderat σωματικῷ εἴδει, quasi columba in Christum* Luc. 3:22. iterum adscendisset, dici potest; Spiritum S. adscendisse in cœlum; ubi erat prius, nec tamen inde sequitur, illum eò antea è terris adscendisse. Sic Angelus, ut mandata DEI exsequeretur, de cœlo demissus, postquam legatione sua functus est, iterum supernas petit sedes, ubi erat prius; quis tamen inde concluderet: angelum ante hanc legationem fuisse in terris, & jam antea è terris in cœlum adscendisse? Parili ratione etiam planè inconsequenter exinde, quia Filius hominis, (qui sic dicitur, quod secundum humanam naturam ex Maria virgine verus homo natus est) adscendit in cœlũ ubi erat prius, colligitur, Christum ante mortem & resurrectionem suam, tempore scilicet quadragesimalis jejunii, adscendisse corporaliter in cœlum, & ibi doctrinã Evangelii addidicisse. Quod si verò Adversarii majorem velint restrictam ad homines, & ad adscensum localem & propriè dictum, ut sensus sit: Quicunque hominum adscendit in cœlum, ubi erat prius, illum eò antea è terris adscendisse oportet, concedimus eam de mero homine; negamus autem de eo, qui præterquam quòd homo est, simul verus DEus est: hic enim potuit secundùm humanam naturam adscendere in cœlum, ubi erat prius secundùm divinam naturam, ut non necesse sit, eum antea secundum humanam naturam in cœlum adscendisse. Deinde ad minorem rectè intelligendam, sciendum, nomen illud: *Filius hominis* esse nomen personæ & concretum, & quod personæ sic denominatæ tribuitur, debere restringi ad eam naturam, quæ illius attributi capax est. Sic quando dicitur: *Filius hominis adscendit in cœlum*, prædicatum illud Filio hominis secundum humanam naturã competit: divina enim propriè dictæ ascensionis capax non est. Quando autẽ dicitur: *Filius hominis prius erat in cœlo*, hoc prædicatum Filio hominis competit non secundum humanam, sed secundum divinam naturam: secundum hanc enim ante & ab initio erat in cœlo. Porrò phrasis hæc *ὅπου ἦν τὸ πρότερον*, non adscensionem, non informationem; sed diuturnam mansionem manifestò innuit, & referri debet ad divinam Christi naturam, quo intuitu Syrus *ϖϑαφερέζει: ab initio:* Procul dubio respiciens locum 1. Joh. 1,1. *ὃ ἦν ἀπ' ἀρχῆς.* Imò ipse Salvator, optimus

suorum verborum Interpres, quæ mens sua sit, explicat Joh. 17, 5. inquiens: *& nunc glorifica me, tu Pater, apud temetipsum ea gloria, quam habui apud te, πρὸ τῦ τὸν κόσμον εἶναι.* Vid. *Glass. Gramm. S. lib. 3. tract. 4. can. 8.* Eadem quoque responsio militabit ad alterum dictum ex Joh. 16, 28. desumtum. Nam & in eo adscensionis illius ad petendam informationem, tempore jejunii quadragesimalis, nec vola nec vestigium apparet. Tum forsan Smalcius aliquod causæ suæ patrocinium haberet, si Christus dixisset: redii à Patre & veni in mundum; jam verò Salvator dicit: *exii à Patre & veni in mundum,* humanam scilicet assumens naturam. Et Joh. 8, 23. dilucidius hæc explicat Salvator, dicens: *ex supernis sum, ἐκ τῶν ἄνω.* Si autem per aliquot modo dies jejunii sui in cœlis fuisset, non propterea è supernis esse dicetur.

§. XV. Quod denique absurdum illud attinet, quod Smalcius inde vult elicere, nobis non videtur absurdum, cum alium ex Scriptura S. modum sciamus, de quo supra. Certè argumentatio hæc falsa nixa hypothesi nil nisi falsitatem & blasphemiam putidissimam spirat. Tum aliquid obtineret Smalcius, si prius nostras probationes, quibus Christum verum DEI Filium esse, ipsamque substantialem Patris sapientiam adstruimus, solide destruxisset. Deploranda sane est hominum, fraude diaboli excœcatorum, pertinacia, quâ ipsis divina sapientia stultitia, manifestissima scripturæ dicta absurda sunt. Pauli præterea exemplum quod attinet, diversissimum illud est. Paulum in cœlum raptum esse ipse manifestissimè docet 2. Cor. 12, 1. seqq. Explicat *causam,* unde hæc revelatio ei obtigerit; scilicet *à Domino* v. 1. subjungit *tempus,* quo in cœlo fuit: *ante annos quatuordecim* v. 2. Exprimit *locum, tertium cœlum, paradisum* v. 2. & 4. Aperit *modum* admirabilem, v. 2. & 3. Subjicit quid ibi egerit: *audivit ῥήματα ἄῤῥητα* vers. 4. Ubi autem tale quid continetur de Christi adscensione in cœlum, tempore jejunii sui? In sacris pandectis nihil: In cerebro Socinianorum, helleboro purgando, multa. Tandem quod typum Mosis attinet, notandus hic venit Canon apud Philologos decantatissimus: Typi ad Antitypum applicatio fiat commoda. Vid. *Phil. S. Glass. l. 2. part. 1. tract. 2. sect. 4. can. 4.* Concedimus Mosen in quibusdam gessisse typum Christi, sed non in hoc, quod per quadraginta dies fuit in monte, & à DEO ibi accepit legem, ut alibi à Theologis prolixè ostenditur.

Hisce contentus, Lector benevole, fave.

Servet nos DEUS in veritate sua:
VERBUM EJUS VERITAS!

WEI-

WEIDMANNE, errorum tu noxia paſcua ſpernis;
Scripturæ aſt ſacræ paſcua ſana placent.
Auguror hinc olim fore te cautumque bonumque
Paſtorem; & cœli paſcua læta precor.

Eruditiſſ. Dn. Reſpondenti Diſp. hujus Authori ita gratul.

PRÆSES.

IN JESUM pietas quod ſvadet, quodque requirit
Hocce ſacrum tempus, dicere dulce tibi;
Socini retegis fraudes & Papicolarum:
Adſit ſancta Trias niſibus hiſce, precor!

Benevolentiæ teſtandæ causâ appon.

Johannes Muſæus, D. & P.P.

IMpaſtum tradis CHRISTUM, myſteria quanta!
Impaſti non eſt hic labor ingenii.

Svaviſſimo Domino Sympalæſtritæ apponeb.

M. Chriſtianus Hoffmannus, Wratisl.

PUblica poſt privos conatus pulpita ſcandis:
Hâc Patriæ, credo, ſedulitate places.

Eruditiſſimo Dn. Autori, amico ac Sympatriotæ ſuo honorando gratulab. applaud.

Johannes Melchin, SS. Theol. Stud.

IMpiger es JENÆ ſtudiis ſudando GEORGUS;
Felix VIR PASCENS eſto docendo RIGÆ!

Paucis hiſce Pereximii atq; Politiſſimi Dni. Reſpondentis, amici ſinceri ac Contubernalis quondam infucati ſui nomini & omini adgratulari & apprecari voluit

A. R. Q. S. SS. Th. St.

ES läſt nie bergen ſich gelehrter Sinnen Wiſſen /
Es bleibet nie verdeckt Minerven ſüſſes küſſen /
Es bricht doch einmal aus. Diß zeuget letz ſein Geiſt /
Herr Weidemann / ſo Ihn ſelbſelbſten eylen heiſt

Zu

Zu schreiben was sein Sinn bey Tag und Nächte leben
Ihm feste eingeprägt/ es will am Himmel schweben
Sein Sinnenreicher Geist/ drüm er ietzt abeweicht/
Wo die gebückte Schaar der kleinen Seelen kreucht/
Und niemals über sich von seiner Erden steiget.
Darüm mein froher Geist sich wünschend Ihm erzeiget/
Und rufft: Sein Ruhm so fort sich schwinge Wolcken an/
Biß Er erlange den Saphirnen Stern-Altan.

Mit schuldigst/ eilender Feder sezte dem Herrn Auctori und Respondenten als seinem höchstgeschätzten Freunde dieses hinzu

Julius Conradus Bauer.

QUam vigili doctas secteris pectore Musas
Dum *Weidmanne* subis pulpita nostra; doces.
Illi quem Sophies trahit ardua cura, Cathedram
Quis neget? En cathedram Cynthius ipse parat.
Tendit ad extremas partes Jovis ales Olympi
Nil quicquam læsus solis ab intuitu.
Tu *Weidmanne* pari ratione ut Pallados ales
Instructus Sophiâ tendis ad astra poli.
Felix! qui tenebras superat, quemque inclyta Virtus
Sic sistit doctis non sine laude Viris.
Annua Christicolûm nobis jejunia monstras;
Cum jejuna tamen sit Tua Musa minus.
Tanta brabeja Tibi grator, quæ nobile dudum
Promeruit studium curaque Pieridum.

Hisce Pereximio DN. Autori, Fautori & Amico suo honoratissimo, certissimo, de singulari eruditionis specimine gratulari voluit, debuit

Henricus Bolman, Hildesiensis.

PAscua docta doces, mi *Weidman*, gratulor ergo,
Ipse Tibi & voveo, digna brabéa feras.

Hisce pauculis Præstantissimo & Politissimo Dn. Autori, amico & contubernali suo svavissimo gratulari voluit amicissime

Johann Bötticher.

FINIS.